

INSTITUTIONUM

CANONICARUM

LIBRI TRES

AD USUM SEMINARII NEAP.

AUCTORE

JULIO LAURENTIO SELVAGIO

PRESBYTERO NEAP.

In eodem Seminario

JURIS UTRIVSQUE ANTECESSORE

Editio altera castigatior, & auctior, cui præter cetera  
accessit plenius Syntagma Juris Ecclesiastici  
Neapolitani.

TOMUS II. LIBER II. III.

Δεύτεραι Φροντίδες σοφώτεραι.

MATRITI.

APUD ANTONIUM DE SANCHA,  
in Platea ( vulgò ) de la Aduana Vieja. 1778.

*Se hallará en la Librería de D. Bernardo Alberá,  
Carrera de San Geronymo.*





# INSTITUTIONUM CANONICARUM

---

## LIBER SECUNDUS.

**C**OGNITA Personarum Ecclesiasticarum qualitate, earumque characteribus, expositoque jure, quod cuique suæ conditionis intuitu convenit, ordinis ratio postulat, ut rerum Ecclesiasticarum tractationem adgrediamur; rerum scilicet, quæ ad æternam beatitatem consequendam conducunt, & ad ipsius Ecclesiæ, ejusque ministrorum usum destinatæ sunt. Porro non eadem ratione *de Rebus* Jus Canonicum agit, & Civile. Et sane Jus Civile res spectat, prout ab hominibus adquiri, tueri, amittive possunt. Ac Juri Canonico tantum proposita est rerum divisio, atque administratio. Neque enim rerum Ecclesiasticarum dominium potest quis sibi vindicare, quæ sunt vota fidelium, pretia peccatorum, & patrimonia pauperum.

## TITULUS I.

### DE RERUM ECCLESIASTICARUM DIVISIONE.

I. **R**es Ecclesiasticæ, scilicet quas Jus Canonicum respicit, vel *Spirituales* sunt, vel *Temporales*. *Spirituales*, quæ animarum salutem, earumque

Tom. II. A æter-